



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

De

OPPOSITIONE ENUNTIATORUM, *TRACTATUS SINGULARIS.*

SECTIO PRIOR.


De Oppositione Enuntiatorum in sese.

Resp. Georgio Newenfeldio, Dantiscano Bor.

EXERCITATIO I.

DeNomine & definitione Oppositionis Enuntiatorum.

THESIS I.

Ngentia molimina præsumunt, qui Mundum *circuire, & causas secretaq; ejus ex abdito eruere, alijsq; noscenda proponere meditantur.* Inprimis, *cum exiguum ævi nos decurrere existimetur, ac à tergo celeriter senectus subeat, medioq; actorum cursu telam mors abrumpat. Non minora moliuntur, qui Universa* Ratiocinatricis disciplinæ *momenta ad unguem resecare, alijsq; repræsentare meditantur. Diffusa enim amplitudo hic, & quaquaversum aut in Naturæ regno Rationis usus se occupat, aut in supernaturalium circo vagatur, sedem sibi* Rationalis disciplina *collocat. Frustra jam de* tota eâ *agere præsumatur, Cum & magnam partem* in Gymn. Logicis *id peractum, & alibi peragendum restare possit.* Ipsæ partes singulæ, *sive simplicis, sive compositæ operationis illæ, ita se habent, ut magna rerum varietate exundent, & multa latentia ac abstrusa contineant. Ne longè abeamus,* Opposi-

torum doctrina *id aperto documento confirmet. Quid Contradictio sit, quotuplex, qualis, quo fundamento radicata sit, præcedens* de Contradictione Tractatus *sat copiosè docuit. Sed in Enuntiatis Cum* Opponendi ratio *variet*, & Contradictio, *quâ aptissimè formanda, in incerto sit, varieq́ inter literatos disceptetur, ob materiæ ipsius dignitatem, jucunditatem, amplitudinem, ac insignem, quam in* Theologicis exemplis *obtinet, utilitatem*, speciali Tractatu *per literarias disceptationes disquirere, necessarium judicatum est. Quod præsente argumento, BONO CVM DEO, expedire constitutum est.*

2. *Dari* in Logicis inter affectiones Enuntiatorum *etiam* Oppositiones *eorum*, Cùm ipsa rationalis operatio *circa Enuntiata procedendi, quâ in repugnantiam aliquam ea conferre possumus*, tùm communis Logicorum usus & experientia literata *docet, Vbi* omnes Authores Logicos oppositiones Enuntiatorum *repræsentare videmus.* Definiri *potest* Enuntiatiua Oppositio Oppositio, quâ propositiones verè inter se in sensu identicè sumpto pugnantes, Logicè adducuntur. Genus est oppositio, *h. e. repugnantia, quâ aliquid de eodem identicè sumpto affirmatur simùl & negatur. In hoc enim formale veræ oppositionis esse* Tract. de Contradictione s. 1. t. 20. seq. *latiùs deductum. Hæc Oppositio quia ad Oppositionem* Terminorũ & Enuntiationum *indifferens est, Vt* c. l. s. 2. t. 2. *visum, adeoq́ ad* duas repugnandi species Logicas, *quas simùl comprehendit, fundi potest, legitimum genus ad Oppositionem Enuntiatorum esse potest. Quæ ad differentiam pertinent*, ex c. l. t. 20. seq. *explicationem habere possunt.* Hæc Oppositio Enuntiatorum, vel Contradictoria vel contraria, Contradictio vel contrarietas, est. Plures enim veras opponendi Enuntiata in Logicis species

non

non esse, non subcontrarias, subalternas, indefinitas, singulares, sed harum nonnullas vel *nullas Oppositiones verè esse, ut subcontrarias & subalternas*, vel *ad Contrarias & Contradictorias referri posse & debere*, d. 9. Gym. Log. t. 30. *satis ostensum est.*

3. *In* Contradictione Enuntiatorum *quædam* in nomine, *quædam* in re *spectanda erunt.* Contradictionis vox, *quando de Enuntiationibus usurpatur*, interdùm materialiter *sumitur*, interdùm formaliter. Materialiter *sumitur* I. Cum magis materia rei enuntiatæ, quàm forma enuntiandi attenditur. *Hoc modo* Contradictoria *dicimus*, *cum* termini oppositi qualescunq; *in propositione de eodem subjecto enuntiantur*, *etiamsi non præcisè* Contradictorij *sint. Vt Petrus est niger, Petrus est albus, Homo est calidus, homo est non calidus, vel frigidus, ille est cæcus, ille est videns. Ita secundùm oppositiones terminorum propositionum oppositiones dividi possunt, ut* aliæ contradictoriè *opposita, ut Chimæra est ens, Chimæra est non ens*, aliæ Contrariæ, *ut homo est calidus, homo est frigidus*; aliæ privativæ *ut Barthimæus est cæcus, Barthimæus est videns*; aliæ relativæ, *dicantur, ut ille homo est pater, & ille homo est filius. Hæc opponendi ratio non attendi in propositione solet, nec peculiariter explicari, quia non ex ipsâ vi propositionis, sed materiâ quâdam in eâ contentâ, terminis, procedit, & ex ipsarum rerum oppositione, quæ in terminorum doctrinâ traditur, elucescit: Quâ ratione & Oppositionẽ quandam disparatam vocare liceat, quæ ex terminis disparatis procedat, ut homo volat, homo repit, Leo est planta, Leo est metallum.* 2. Cum Contradictio terminorum virtualis magis, quàm Enuntiandi forma attenditur. *Sic aqua est calida, & aqua est frigida; Contradicere sibi dicuntur, quia frigidum virtualiter negat calidum, & importat non calidum,*

quod prioris prædicati apertè Contradictorium est. Sic DEus est Spiritus, & DEus est corpus, contradictoria habentur, quia τὸ corpus virtute contradicit Spiritui, dicit enim idem ac non spiritum. Vt Tr. d. Contradict. s. 2. t. 7. 8. 27. seq. monitum,

3. Cum sensuum repugnantia in enuntiatis attenditur, & contradicentia dicuntur, quæ sensum repugnantem important, etsi quà formam enuntiandi Logicam apertè Contradicentia non sint, nec signa quantitatum ulla habeant. Hic sensus in Theologicis frequentissimus est, ubi contradicere sibi dicuntur, qui enuntiationes sensus repugnantes habentes simùl pronuntiant. Sic Theologi in faciem hæreticos Spiritui Sancto contradicere in refutando sæpissimè dicunt, etiamsi enuntiatum Vniversale, aut particulare, non præcisè forment. Vide Meisnerum d. 26. Anthro. t. 28. & alios. Ita Anonomus aliquis in abserf. prodromi c. D. Hoën p. 22. duas indefinitas sibi contradicere ait, Authoris nomen nil facit ad rem ipsam in scripto, Et, authoris nomen facit ad rem scripti. Vedelius l. 3. rat. Theol. c. 7. p. 579. Præter Contradictionem eam implicitam, ait, quæ est in unâ eâdemq; propositione, datur etiam alia, quæ formalis non est, nec tamen in unâ eademq; propositione, sed inter duas. Ita enim v. g. nos Protestantes omnes dicimus, Contradictionem esse inter duas has propositiones, Purgatorium datur, & solus sanguis Christi purgat nos ab omni peccato, & illam propositionem Romanensem contradicere huic, quæ est verbi Dei. Sic nos Reformati dicimus, enuntiationem hanc, Corpus Christi est ubique, contradicere multis enuntiationibus scripturæ, ut Christus ascendit in cælum; Christus venturus est ex cælo. Vide plura apud illum.

4. Exempla talium Contradictionum passim apud Authores prostant. Sic Jac. Martini in Syn. Rel. Phot. c. 9. §. 29. Osto-

Ostorodum *contradictionis arguit, quòd Christianos peccatum habere, & tamen esse sine peccato, dicat. Perinde ac si quis* Photinianos *habere conscientiam, & tamen sine conscientiâ esse diceret. Sic* Th. Nicolaides tr. d. Eccles. c. 5. p. 53. Borcovio *Contradictionem tribuit, quòd & Scripturam notiorem Ecclesiâ, & hanc illâ dicat, sicq; aliquid simùl & notius & ignotius alio dicat.* Grauuerus *Contradictionem vocat, Homo actu primo est Deus, & homo n. a.* p.e.D. in absurd. c. 2. §. 11. Bacchius *Adversario suo* Nicephoro *Contradictionem impingit, quod Logicam circa ens & non ens, vera & falsa ac mendacia versari doceat, & tamen exclusivarum doctrinam parvi in Logicis momenti, nec ad veram analysin Logicæ pertinere dicat,* l. 1. pr. anal. Log. c. 3. t. 1. p. 270. *Similia apud* Cor. Martini d. anal. mat. c. 3. *lege. Sic* Contradictoria *dicimus,* Christus *fuit ab æterno*, & Christus *non fuit, nisi cum ex Mariâ nasceretur.* Christus *est ex semine David secundùm carnem,* & Christus *carnem sideream ex cœlo detulit. Iustificatio fit per solam fidem in Christum, & Iustificatio fit per fidem & opera simùl.* 4. Cum duarum Universalium Enuntiationum pugna in affirmatione & negatione Contradictio *dicitur, quomodo* Rameos *vocem illam usurpare* l. 1. t. 16. de Contradict: *dictum, & de eâ ex* § 11. hujus sectionis *plura patebunt.* Formaliter sumitur Contradictio, cum vel universalis & particularis enuntiatio præcisè opponuntur, vel duæ indefinitæ, singulares, exponibiles, modales, aut compositæ, in affirmando & negando eundem præcisè sensum ponunt & removent. Utroque modo per sectionem præsentem *maximam partem sumenda vox ista veniet, ut* progressus *docebit. Ex Synonymicis vocabulis etiam* Oppositio Contradictoria Enunciativa, Contradictio complexa, propositionum, axiomatica, *dici possit.*

5. No-

5. Nomine in Contradictione propoſitionum viſo res ipſa abſolutè & reſpectivè ſpectari poſſit. Abſolutè *in* definitione, formandi generali modo, diviſione, & attributis ac utilitatibus.

6. Definitio *hæc ſit.* Contradictio propoſitionum eſt Contradictio, eandem propoſitionem in ſenſu eodem affirmans & negans præcisè.

7. Ex genere Contradictio *dicitur, ad eum modum, quo ſimplex terminus pro genere complexi repeti ſolet, ut* ſ. 2. §. 19. de Contradict. *dictum.* Ex differentiâ dicitur, eandem propoſitionem affirmans & negans. Affirmans *h. e. ponens aliquid cum aliquo*, negans *h. e. removens aliquid ab aliquo. In his enim affirmationum & negationum formalia conſiſtere* ſ. 1. §. 20. c. l. *conſtitutum eſt. Propoſitionem affirmare & negare dicitur, i. e. ſententiam copula enuntiativa diſpoſitam, in hoc enim Natura propoſitionis conſiſtit. Per hoc &* à Contradictione in genere diſtinguitur, *quæ abſtractè & indifferenter & ab terminorum & ab enuntiatorum Contradictione ſumitur, in cujus definitione nec per terminos eam fieri, nec per enuntiata, dicitur, ut* ſ. 1. §. 18. 19. de Contradict: *viſum:* Et ab terminorum Contradictione, *quam termini ejusdem affirmationem & negationem eſſe* ſ. 2. §. 18. c. l. *dictum eſt.* Hic propoſitionum Contradictio ſpectatur, non ſolorum terminorum. Dicitur, eandem propoſitionem negare & affirmare, *quia requiſitum identitatis in Contradictione in genere* ſ. 1. § 22. 23. c. l. *præſcriptum & hic proportionatè eſt obſervandum, ut nempè eadem propoſitio eodem ſubjecto & prædicato, eadem copula, eodem extremorum ſitu & ordine conſtans, affirmetur & negetur.* Si horum aliquid immutetur, *Contradictio extra legem veritatis procedit. Sic* Petrus *eſt Muſicus, & Corydon non eſt Muſicus, ſine Contradictione ſunt,*

quia

quia terminus subjecti variatur. Homo *est albus*, *& Homo non est niger, non contradicunt, quia prædicatum mutatur.* Embryo *est vivus*, *& embryo fiet vivus, non contrariantur, quia verbum copulam in se habens variatur. Homo est corpus, & Corpus est homo, etiam non, quia situs & ordo extremorum immutatur. Hæc* antea s. 1. § 23. seq. de Nat. Contradict: *fusiùs sunt explicata.*

8. Dicitur *porrò*, eandem propositionem in eodem sensu affirmare & negare. Sensum eundem quoad eundem significandi modum, respectum, determinationem, quoad eandem circumstantiam retinere debent propositiones verè sibi contradicentes, *secùs apparens tantùm est Contradictio.* Hæc c.l. § 25. seq. *sunt deducta, & exemplis manifestata. In hoc generale formale Contradictionis propositionum velut à priori consistere censeam, quòd* omnis legitima Contradictio eandem enuntiationem eodem præcisè sensu retentam affirmare & negare debeat, *non autem*, inter Universalem affirmantem & particularem negantem, aut Universalem negantem & particularem affirmantē præcisè *versetur*, *Quod in* doctrinâ Contradictionis propositionum *communiter adduci solet. Hoc enim* vel cuidam saltem *Contradictioni competit, nempè quæ specialiter* formalis & expressa *est, quæ signis istis quantitatis, universalitatis & particularitatis, præcisè determinatur. Nam in genere formalem dici non posse argumento est, quod in his, Petrus est doctus, Petrus non est doctus, formalem Contradictionem agnoscant Logici, ut* Hornejus d. proc. disp. c. 5. Vedelius l. 3. Rat. Theol. c. 7. Bacchius vindic. p. 578. pr. Corn. Matt. Et p. 238. *In quibus tamen nec Universalitas, nec particularitas, sed singularitas locum habet.* At Contradictio, ut sic, *ad plures enuntiationes est extendenda, quàm in quibus Universalitas & particu-*

ticularitas præcisè locum habet, cum & in indefinitis, singularibus, compositis, exponibilibus, similibusq; & inveniatur & usurpetur, in quibus, ut tales sunt, quantitas communi Logicorum judicio locum non habet: Vel nobilissimæ saltem contradictioni *proprium est, quæ principaliter* maximèq; propriè Contradictio *vocari mereatur, quæ semper inter Universalem & particularem intercedet.* Usus autem necessariæ hujus doctrinæ Contradictionis ad longè plures Enuntiatorum species Contradictionem applicandam postulat, quàm in quibus quantitas locum habere potest. Secùs *in cæteris nullum immotum eruendæ veritatis instrumentum suppeditare quiverit Logicus, cum quibusdam enuntiatis quantitas accommodari se non patiatur, ut* exponibilibus & compositis. His *tamen optimè Contradictionem applicari certum est, & ejusdem beneficio verum à falsis immotè secerni, ut praxis analyseos Logicæ abundè docet, & posteà* §. 18. *exemplis manifestissimum fiet.* Patet id etiam inde, *quòd oppositionū in propositionibus rationem per se & formaliter ex solâ qualitate secundùm discretionem veri & falsi metiri oporteat, cum ex hac perfectio & velut nobilitas specierum oppositionis resultet, non ex quantitate, quæ non formalem repugnantiam, sed tantùm materialem infert, quæ per accidens ad formalem se habet.* Ex affirmatione & negatione formale oppositionis in Enuntiationibus sumitur, *quæ ad qualitatem pertinent, non præcisè ex affirmatione aut negatione* in tali aut tali quantitate, *quæ hic indifferens est. Secùs & duæ subcontrariæ & subalternæ veræ oppositionis species essent, quia quantitatem* vel diversam *habent, ut omnis homo est animal, quidam homo est animal,* vel sub eadem *affirmant & negant. Ut quidam homo est dives, quidam homo non est dives,* si quantitas præcisè ad Oppositionem faceret. *Nam ut quantitas Universalis*

lis diversam oppositionem facit, contrariam nempè: Sic & particularis diversam faceret, subcontrariam nempè. Hæc autem falsa *sunt, unde in definitione Contradictionis abstractè tantùm dictum*, quod sit Enuntiationum in eodem sensu affirmatio & negatio, præscindendo â quantitate, *qualiscunq; ea in illis sit, vel an nulla in illis sit. Hinc & in singularibus, compositis, indefinitis, exponibilibus,* contradictionem *agnoscimus, etsi quantitas in illis nulla.*

9. *Ita ergò* à priori Contradictionem tutissimè definiri censeam, affirmationem & negationem ejusdem propositionis in sensu eodem, præscindendo â particulis quantitatis, *an illæ adsint, an secus, utriq; enuntiatorii membro accommodando. Et sic rectè hic mecum* Scharfius l. 2. Log. c. 9. *Contradictoria oppositio, ait, est*, quando simpliciter idem affirmatur & negatur, & ita directè tollitur id, quod erat positum. Similiter Keckermannus l. 2. Log. s. 1. c. 7. *Contradictoria Oppositio est*, inquit, *quæ est perpetua disjunctionis.* D. Jac. Martini l. 3. inst. Log. c. 13. Contradictoriæ ex solâ qualitate judicari possunt, *sicut fit in enuntiationibus singularibus. Et ut habet vulgaris Logicorum maxima:* Nihil veriùs contradicitur, quàm cum affirmationi negatio opponitur. Fonseca l. 3. Dial. c. 18. Hoc tantùm ex ipsa contradictionis formâ *requiritur*, Ut solâ negatione præpositâ differant, *h. e. ut una negationem habeat præpositam, altera minimè, quoad reliqua verò sint omninò eædem. Nam, ut est commune* Dialecticorum *proloquium.* Non veriùs contradicitur, nec formaliùs, quàm cum affirmationi negatio præponitur. *Undè postea & compositis solam contradictionem competere ostendit, in quibus nulla quantitas locum habet. Ad hanc rationem Contradictio propositionũ* in directam & indirectam *dividi debeat.* Directam, quæ propositiones

B eodem

eodem ſubjecto prædicatoq; in ſono conſtantes affirmet & neget. *Hanc ſubdividi poſſe* in primariam *putem, quæ ſit inter Vniverſalem affirmantem & particularem negantem, vel contrà, adeoq; eas, quæ quantitate expreſſâ determinentur. Huc* communem Logicorum definitionem de Contradictione *traditam retulerim*: Et ſecundarias, *quæ inter duas indefinitas, ſive puræ eæ ſint, ſive modales, duas ſingulares, duas exponibiles, duas compoſitas, & ſimiles verſetur, in quibus nulla Vniverſalitatis aut particularitatis quantitas conſpiciatur.* Horsùm varia Contradictionum exempla, quæ in indefinitis, ſingularibus, compoſitis, &c. *adducere ſolent Logici, referenda ducam.* Indirectam, *quæ propoſitiones diverſi ſubjecti & prædicati, quà ſonum, ſenſum repugnantem inferentes, opponat. Quorsùm exempla illa referri debere exiſtimem, quæ famosè inter* Theologos *contradicentia dici ſolent, & ex ſenſu magis, quàm formâ enuntiandi repugnantia judicantur, de quibus* §. 3. *dictum. Ita univerſam hanc* Contradictionis propoſitionum doctrinam commodè per ſuas ſpecies diſpeſci, *totamq; in enuntiatis contradicendi varietatem comprehendi poſſe exiſtimem.* Eaque methodo *porrò* ſectionem hanc primam *pertractatam exhibere conſultum fuerit.*

10. *Dicitur ad ultimum*, affirmans & negans præcisè, i. e. ſiſtendo intra negationem & affirmationem, *non ultrà aliquid ſubſumendo, inferendo, aut educendo.* Contradictio ex ſe ampliùs nil agit, quàm ut neget iſtum ſenſum, quem alterum enuntiatum, cui contradicitur, affirmaverat, aut affirmet, quem negaverat, *qualecunque enuntiatum, & qualecunq; formâ propoſitum fuerit.* Quod *inde alia deinde propoſitio velut per conſecutionem educatur, hoc ex formali Contradictionis non habebis, ſed* vel *ex materiâ enuntiatâ &*

rebus

rebus ipsis, in quibus contradicitur: Vel per accidens *hoc prorsùs fuerit, ut interdum nec consequentem talem elicere liceat. Utile hoc observatum erit* in Contradictionibus exponibilium, compositarum, absurdarum propositionum, *in quibus ex contradicentibus alteram veram semper agnoscere tenemur. Ut cum* Papistæ *dicunt, sola bona opera justificant, solus Papa est infallibilis Judex fidei in terris, sola Romana Ecclesia est verè Catholica Ecclesia, & contradicere nos his jubent, rectè & præcisè contradixerimus:* Non sola *bona opera justificant:* Non solus Papa *est infallibilis Iudex;* Non sola Ecclesia *Romana est vera Ecclesia. Inferunt illi: Ergò tamen bona opera justificant, etsi non sola. E. tamen Papa est infallibilis Iudex, etsi non solus. E. tamen Ecclesia Romana est vera Ecclesia, etsi non sola.* Nos negamus *ita ex Contradictione elicere licere, sed Contradictionē ex se tantùm negare dicimus, & in negando sistere, nihil ampliùs elicere aut educere ex vi Contradictionis.* Sic dicam ego: *solus Monachus est irrationalis.* Contradices: *Non solus Monachus est irrationalis.* Inferam ego: *E. tamen Monachus est irrationalis, etsi non solus.* Negabis *haud dubiè, id inferre licere, & in solâ negatione sistendum dices, quæ sit verissima.* Hoc certum, *& similiter in nostris materiis pronunciandum, ac in omnibus materiis absurdis usurpandum, prout ex* §. 14. 21. seq. pluribus *patebit.*

11. *Ita* generalis Contradictionis definitio à priori & abstrahendo à quavis velut inferiori specie, formata tradita est. Succedat formandi generalis in eâ ratio. *Hæc ex sensu definitionis traditæ facilè hauriri poterit, quæ ob* exponibiles, modales, & compositas *aliàs multum negotii* Logicis *facessit, ut ex specialibus* §. 21. seq. *traditis uberiùs cognoscetur.* Quæritur; Quomodo Contradictio propositionum formaliter & generaliter legitimè formanda veniat,

ut univerſaliter per omnes propoſitionum ſpecies, qualeſcunque ſint, procedat, ac legitima Contradictionis attributa ſervet, ut ſcilicet & præciſè à falſo verum ſecernat, unumq; enuntiatū verum, alterum falſum faciat, & mediū aliquod Veritatis inter duo enuntiata excludat, quod Contradictionem facere debere ſ. 1. t. 42. ſeq. de Nat. Contrad. *concluſum eſt? Ex definitione ſolutio patet*, ſi ſcilicet eandem enuntiationem in ſenſu ſuo identicè ſumptam præciſè affirmes & neges, non plus vel affirmes, quàm negatio ferat, vel neges, ac affirmatio poſtulat. *Hic jam I.* Ramiſtarum ineptia patet, *qui duas univerſales, affirmantem & negantem, Contradictorias vocant, ut* ſ. 1. §. 17. c. l. *dixi, & teſtimonia allegavi. Et vocem Contradictionis quidem ita latè quandoq; ſumi* c. l. *conceſſum eſt. Sed proprio ſtrictoq;, qui inter* Philoſophos *obtinere debet, ſenſu talem oppoſitionem Enuntiationum Contradictionem non eſſe*, & *rationibus probari poteſt*, & *authoritatibus*. Rationibus 1. Quia definitio Contradictionis tali oppoſitioni non competit. *Contradictio eſt oppoſitio* eandem prorsùs enuntiationem *affirmans & negans. Sed univerſalis affirmans & negans* non eandem prorsùs *negat*, ſed ampliùs quid, quàm affirmans affirmaverat. *Affirmans enim de ſubjecto univerſaliter ſumpto, h. e. de ſubjecto cum determinatâ quantitate univerſalitatis affirmat prædicatum. Negatio ergò ejus Contradictoria* idem prædicatum de ſubjecto determinatè quanto negare deberet. *Hoc aliter non fit, niſi prædicatum* etiam de quantitate ſubjecti *neges. Vt, omnis homo eſt dives. Si hoc propriè negandum ſit*, univerſalitatem ſubjecti ſimùl negare oportet, *non omnis homo eſt dives. Vt enim in affirmante ſubjectum eſt omnis homo: Sic in negante idem manere debet, & negari, quod ita fiet: Non omnis homo.* Hoc verò non fit in contraria,

Nul-

Nullus homo. *Hac enim* vel prædicatum *negabit de diverso subjecto, plus enim negat, nullus homo, quàm non omnis homo:* vel de eodem subjecto diversum prædicatum faciet, *ut omnis homo est non dives, ubi prædicatum est infinitè affirmativum, & sic non idem prædicatum negatur, quod antea affirmabatur, sed infinitum tantùm redditur, Et sic* propositiones diversæ fiunt, non adversæ, minùs Contradictoriè oppositæ. Deindè, *cum sic negatur, non omnis homo est dives,* præscinditur interim, & relinquitur, *an quidam homo sit dives, an non: Id quod sæpè contingere potest, ut particularis ex Contradictione educta omninò sit vera, etsi Contradictio ut sic, hoc non affirmet, sed tantùm sibi oppositam affirmantem neget.* V. §. 10. 14. Sed cum Universaliter & in totum negatur, *totaliter negas, ullum esse divitem, adeoq; plus negas, quàm affirmantem illam eo, quo posita fuerat, sensu, negare debueras.*

12. 2. Contradictio eundem sensum præcisè negare debet. Sed universalis negatio affirmanti opposita ampliorem sensum negat, quàm affirmans intulerat. *Hac enim, v. g. hominem esse divitem* in universum *dixerat. Hoc non solùm negatur per universalem negantem, sed præterea adhuc* aliquid supra illud negatur, *non solum, hominem non esse divitem in universum dicitur, sed nec ullum esse talem asseritur, h. e.* dicitur, *hominem nec in universum, nec in particulari esse divitem, i. e. in totum illud negatur, cum Contradicendo in parte negari debuisset, omnem esse divitem, relinquendo interim, an quidam sit dives, an non.* 3. Quia non habet attributa Contradictionis talis oppositio. *Vera enim Contradictio* ex naturâ sua & formali ratione Logicâ alteram semper veram, alteram falsam inferre debet sine ullo respectu ad materiam. *Est enim immotum & certissimum eru-*

enda veritatis instrumentum Logicum, *ut* l. 1. §. 54. seq. de Nat. Contradict: *planum factum. Sed* duæ universales affirmantes & negantes ab utraque parte falsæ esse possunt. *Vt, Omnis homo est dives, doctus, formosus. N. homo est doctus, dives, formosus. Omne animal est bipes. Nullum animal est bipes.* Mediæ inter has, Quidam homo est dives, doctus, Quoddam animal est bipes, *vera sunt. Si interdùm veritatem servant, per materiã tantùm id faciunt, cum ea necessaria fuerit. Vt omnis homo est animal. Nul. h. e. an.* Prior vera, posterior falsa est, quia materia necessaria est. Ex ipso judicio & indicio formæ oppositionis id nequaquam cognosces, utra sit vera, utra falsa, sicut ex formâ oppositionis Contradictoriæ id cognoscitur, etiamsi materiæ nullam cognitionem quis habeat. *Sic ex formâ hac opponendi, omnis homo est asinus, non omnis homo est asinus, cognosco, alteram Enuntiationem veram esse, alteram falsam.* Sed in contrariis *ex materiâ & disciplinis materialibus ad cognoscendum, nempè, procedes,* quæ necessariò cohærent, separari non posse, & animal ac hominem necessariò cohærere. *Qui ergò animal ab homine separet, sivè universaliter, sivè particulariter, ille hominem tollat, & consequenter falsum dicat. Non quòd formales Enuntiationũ Contradictiones formet: Sed quòd in ipsâ materiâ Contradictionem in adjecto committat, hominem & non animal simùl jungendo, qui termini inconsistentes & virtualiter Contradicentes sunt.* Hæc Contradictio propriè non Logica & formæ Enuntiandi est, sed realis & materiæ enuntiatæ, *ex eaq́ judicanda & agnoscenda. Et consequenter patet,* Contradictionem formalem, & contrarietatem Contradictionem interdùm continentem, affectionibus ex propriis formis & essentiis fluentibus differre, *unam verum à falso* formaliter *secernere, alteram non, sed* materia-

teria-

terialiter *& per accidens tantùm, & sic specie differre veram Logicamq́ Contradictionem, & Contrarietatem, quam Contradictionem* Ramistæ *vocant. Iam quæ specie differunt, earum denominationes non sunt confundendæ, sed distinguendæ.* 4. Quia distinctæ res distinctis vocibus sunt appellandæ, si haberi eæ possunt. Vocibus enim temerè confusis res ipsas confundi facile est, quas distinxisse multum interest Philosophi. *Distinctæ autem opponendi species sunt, Contrarietas & Contradictio, ut* antè *visum. Et dari possunt distincta rerum nomina. E. & distinctis vocibus à Philosopho sunt appellandæ. Distinguendi enim Magister hic esse debet, non confundendi.* Authoritate *idem probatur.* Aristoteles d. interp. c. 7. Dico, inquit, affirmationem negationi opponi contradictoriè, eam quæ Universaliter significat, illi, quæ eandem significat non universaliter. Ut, Omnis homo est albus, Non omnis homo est albus. *Et nullus homo est albus, & quidam homo non est albus.* Idem l. 2. prior. c. 15. habet. Adversa dico, inquit, quæ in toto sunt, ut omne & nullum. *Alia verò contraria appello, Ut omne & non omne.* Hæc *sunt, quæ nos* Contradictoria *appellamus. Et contraria postea idem de eodem affirmare & negare ait. Hoc contradicentium proprium est. Contraria enim non præcisè idem, sed aliquantò amplius & ultra illud negant,* ut ante *visum. Et hæc significatio apud* Peripateticos Philosophos *jam usu recepta est.*

13. Dices 1. Ut generalia generaliter, specialia specialiter sunt tractanda secundùm legem pædias: Ita & generalibus generaliter, specialibus specialiter est contradicendum, per eandem legem. E. universali affirmatæ opponenda est contradictoriè universalis negans, non particularis. R. Generalia generaliter, & specialia specialiter

sunt

sunt tradenda, sed proportionatè & servatâ veritate, *ac quomodo conditio rei ferre velit. In oppositione in genere generalia generaliter in euntiatis sunt opponenda. Sed* ut hic Contradictio *sumitur, non Oppositio in genere, sed certa aliqua in specie est, efficacissima nempe, prima, & summa opponendi ratio, quæq; immotè verum à falso secernat, ut unum enuntiatum verum, alterum falsum evadat.* Hujus oppositionis *conditio non fert, ut universali universaliter contradicatur, quia & plus negatur, quàm negari debet; & ambæ propositiones falsæ sæpius evadent, cum contradicentium unum verum esse debeat.* Nec veritas, *Cujus eruendæ Contradictio immotum* instrumentum Logicum *esse debet, per duas Universales erui potest, cum utraq; falsa esse possit. Et ita lex paideias est intelligenda, ne conditio rei aut veritas inquirenda evertatur. Nec ipsi* Ramistæ *generalia semper generaliter tractant. Nam particulari propositioni generaliter contradici docent, ut quoddam animal sentit, omne animal sentit, ut* Nicephorus c. Corn. Mart. p. 22. *Hic non particulari particulariter, sed universaliter contradicitur.*

14. 2. Contradictio est inter eandem enuntiationem affirmantem & negantem. Sed cum universali particulariter contradicitur, non est inter eandem. Non omnis enim idem est, ac quidam, ut ex Cicerone pro Syllâ §. 23. patet. Non possunt omnes esse patritij, si verum quæris, ne curant quidem, i. e. Quidam patritij esse possunt, quidam non. Sed quidam particularem propositionem facit. E. cum per *hanc contradicitur universali, non est contradictio* ejusdem propositionis, *particularis enim non est eadem cum universali, sed diversa. Et consequenter nec legitima Contradictio.* R. 1. Contradictio est ejusdem propositionis affirmatio & negatio, *identitatem à sensu rei enuntiata*

tiata affirmato & negato æstimando, non præcisè à quantitate. Quomodo in definitione Contradictionis à priori à sensus ejusdē affirmatione & negatione eam sumendā § 8. *dictum est.* Sic in indefinitis *si sensus idem servetur, idem affirmatur & negatur, etsi nulla quantitas adsit. Vt homo potest esse dives, homo non potest esse dives. Animal currit, Animal non currit. Necesse est Hominem esse animal, Non necesse est hominem esse animal.* Idem in exponibilibus & compositis *procedit, in quibus nulla quantitas.* Jam in totum negamus, *nostrâ contradictione non eandem propositionem quantum ad sensum spectatam, negari.* Planissimè enim universalitas sensus prioris particulari negatione *evertitur, & sic idem negatur, quod affirmatum fuerat. Et consequenter legitima nostra est contradictio.* V. §. 12. 2. Falsum etiam est, non omnis idem ac particulare, quidam, esse. Simpliciter tantùm in contradicendo negat *universalitatem, nihil positivi ex adverso ponit aut infert,* V. §. 10. *Nec hoc* Cicero *dicit, quosdam posse esse Patritios, quosdam non, nec ex verbis ejus salvâ veritate hoc educi potest, neq; populus ita intellexit: sed tantùm negativum sensum illa obtinent,* non omnes posse esse patritios, *quod adjecta verba* si verum quæris, *ne curant quidem, evidenter docent, quæ tantùm negativo sensu procedunt, ex mente* Ciceronis *hoc modo: Neq; omnes Romani possunt esse Patritij, neq; omnes curant esse. Si quosdam curare esse indè inferas, plùs inferes, quàm verborum istorum sensus continuit aut expressit.* Aliundè *id hauriendum est,* an quidam *possint esse Patritij, an quidam curent esse.* Ex simplici istâ negatione *nunquam istud educes.* Velut si dicam: Non omnes hic possunt esse Cicerones, imò ne curant quidem, *nunquam indè cum veritate colliges:* Quosdam hic esse Cicerones, *& tales esse curare, cum fieri possit, ut nulli prorsùs hic sint, nec esse curent.*

Particularis enim negans in negando tantùm ſiſtit, abſtrahit ab inferendo alio particulari affirmante. Quod ſivè educi poſſit, ſivè minùs, ex vi formaq́ negationis particularis id non eduxeris, Vt § 25. 26. 27. pluribus *deductum. Et ſi omninò particularis negans abſolutè extra* ſtatum Oppoſitionis *prolata aliam affirmantem particularem inferri pateretur, nunquam tamen id in* ſtatu Oppoſitionis Contradictoriæ *pateretur, ubi præcisè & tantùm negat, nihil affirmati infert.* V. §. 10.

15. 3. Ariſtoteles Contradictionem duarum Univerſalium affirmationem & negationem octodecies in l. d. interpret. vocavit, *ut* Ramus l. c. Scheckium oſtendit. *E. non rejici poteſt hæc appellatio.* R. 1. Aliud vocis uſurpatio, aliud rei propria ſignificatio, *Poſito*, Ariſtotelem *Contradictionis vocem ita latè interdùm uſurpaſſe, ut & Contrarietatem comprehendat, non ſequitur*, ſignificatum illud voci Contradictionis proprium eſſe, *eoq́ contrarietatem veram Contradictionem eſſe, quod indè deducunt* Ramiſtæ. Voces interdum promiſcuæ eſſe poſſunt, res ipſæ diſtinctiſſimæ manent. *Sæpè voces* Ariſtoteles *in ſignificato* ſuo tempore uſitato *aut aliàs famoſo & nonnullis recepto uſurpat. Non ob id propriam illud iis eſſe, propriasq́ inde ſpecies vocandas eſſe ſequitur. Diſtincta enim diſtinctis vocibus ſunt appellanda, ſi ea ſuppetunt.* V. t. 12. *Neq́ Ramiſtæ ad appellationes rerum Logicarum* Ariſtoteli *uſurpatas ſe aſtringi patiuntur, ut in hujus vocis ex ambiguitate uſu legem ſtatim aut uſurpandi vim inferre præſumant. Ita* argumenta *terminos propoſitionū vocare,* medium terminum argumentum *tertium, primam figuram* ſyllogiſmum explicatum *ſecundum, ſecundam explicatum primum, tertiam ſyllogiſmum contractum, appellare, inaudita apud* Ariſtotelem *ſunt.* Ramiſtis *tamen uſitatiſſima,*

nec

nes curant, *quod* Aristoteli *hæc prorsùs inusitata*. 2. Aristoteles *Contradictionem affirmationem & negationem oppositas vocat*, c. 4. d. interpr. *sed qualem intelligat*, sequente statìm paragrapho declarat, *cum opponi eam dicit*, quæ est ejusdem de eodem, non homonymus, ut cætera ejusmodi, quæ contra Sophisticas molestias determinaverit. *Hic Contradictio* prorsùs ejusdem de eodem affirmatio & negatio *dicitur*, *quæ in Contrarietate non est*, *quæ non solùm Vniversalitatem prioris subjecti negat*, *sed & particularitatem alicujus indè inductæ negat*, *quod Contradictio*, *ut sic facere non debet*. V. §. 11. sic c. 7. *affirmationem negationi* Contradictoriè *opponi ait*, *sed quæ universè enuntiat de eodem illo*, *de quo altera non universè*, *ut Omnis homo est albus*, *& non omnis homo est albus*. Duas Universales contrario nomine opponi dìcit.

16. *Patet hinc* 2. Oppositionem subcontrariam, *ut quidam vocant*, veram Contradictionem non esse, verumque à falso perpetuò secernere non posse. Sub contraria oppositio est inter duas particulares affirmantes & negantes, *ut Quidam homo est doctus*, *Quidam homo non est doctus*. *Veram Contradictionem non esse patet* 1. Quia non affirmatur & negatur idem præcisè de eodem, sed de diverso. *Vt Quidam homo est doctus*, *Quidam homo non est doctus*, *non negatur illud ipsum subjectum*, *quod in affirmante per quendam hominem intellectum fuit*, *esse doctum*; *sic enim dicendum fuisset*, *Non quidam homo est doctus*, *vel falsum est illud*, *quidam homo est doctus*, *unde per consequens elicitur*, *nullum hominem esse doctum*: *sed* vel *aliud subjectum negatur esse doctum*, *& sic non identitas eorundem extremorum servatur*: vel *tantùm indefinitè aliquem hominem esse doctum negatur*, *quo iterùm prius subjectum sic idem de eodem non affirmatur*

& negatur. 2. Quia proprium attributum Contradictionis ei non competit. Verum præcisè à falſo ſecernere, unumq́ue enuntiatum verum, alterum falſum habere. Utrumq́ue enim verum in eâ eſſe poteſt. *Vt, Quidam homo eſt doctus, intelligendo de Socrate, Platone, & Quidam homo non eſt doctus, intelligendo de Melibæo & Menalcâ, &c.* 3. Quia identitatem ejuſdem ſenſus non ſervat, quia non *idem de eodem, ſed* idem de diverſo *affirmat & negat. An tamen inter oppoſitiones Enuntiativas ob id planè non numeranda ſit, diverſim diſceptatur.* Ramei *planè negant, inter oppoſitiones referendam. Vide id diſceptantem* Dunamum l. 2. Log. c. 4. Ariſtotelei *aliquam Oppoſitionis rationem in ea agnoſcunt, quod defenſum* apud D. J. Mart. l. 2. diſc. Ram. c. 4. q. 7. & Bacchium l. 1. d. anal. Logic. p. 224. ſeq. videas. *Vtrovis modo res habeat, alibi pluribus de eo diſceptatum eſt.* V. t. 2. & d. 9. Gym. Log. Satis hic ſit, Contradictionem Enuntiativam *in ea figi non poſſe, Quidquid* de ratione opponendi in genere *eſſe queat.*

17. Quantum ad generalem enuntiativè Contradicendi formam attinet, quonam ſenſu modò formaliter ea conſiſtat, §. 11. *aſſertum, & ex definitione* Contradictionis *à nobis traditâ liquere dictum eſt.* Sed quâ proponendi forma modoq́ue quàm maximè apertè, formaliter & generaliter per omnes Enuntiandi formas proponi debeat, ut in omni enunciationis ſpecie ſine lapſu aut errore procedat, ulteriùs quæritur? *Hic* varij variè, *& de diverſis enuntiandi formis diverſè modum aſſignant.* Quædam *enuntiata prius exponenda dicunt, priusquam illis contradicatur.* Quædam *reſpectivè in Contradictione negari aiunt, non abſolutè.* Quædam *in membris neganda eſſe, non membrorum attributione, ut compoſita enuntiata, ut nonnulli de illis ſentiunt.*

ut §. 22.

ut §. 22. 23. *patebit.* Mihi *ut certi quid hic constituatur, tutissimum esse videtur*, omnibus enuntiatis affirmativis, qualiacunque sint, s. simplicia sivè composita, sivè pura, sivè modalia, aut exponibilia, sivè absoluta sivè comparativa, præponendo particulam. Non negativo, non infinitante sensu sumptam Catholicè & formaliter contradici, *ita ut idem sensus qui affirmatus fuerat, negetur, & totum enuntiatum in isto sensu tollatur & verum esse negetur, & copula attributionis, qualiscunq; illa fuerit, sivè simplex sivè composita, negetur de subjecto. Vtq; sensus contradicentis sit:* Non est illud, quod affirmatum fuerat. *Si negatum fuerit enuntiatum, Contradictio, in eundem sensum recidere debet affirmatione oppositâ: Nempè sensus sit:* Est illud, quod esse negatum fuerat. *Hic ex duobus unum verum, alterum falsum immotè futurum est,* cum principium Contradictionis, esse non esse *in tali contradicendi formâ apertè contineatur, quod fallere non potest, ut* s. I. de Nat. Contradict: *palàm factum. Vt: Omnis homo est animal, non omnis homo est animal, h. e. non est id, omnem hominem esse animal. Quidam homo est doctus, non quidam homo est doctus, i. e. non est illud, quendam hominem esse doctum. Vt τὸ non ad copulam refundatur, & super negationem totius Enuntiati feratur, non solius subjecti, ut illud infinitum reddatur. Vt non sensus sit: Aliquid, qui non homo est, est justum, hoc enim falsum interdum esse potest, ut si brutum vel plantam sub non homine intelligas: Sed,* Non est totum illud, Hominem esse justum; vel, *homo non est justus. Nullus homo est leo, Non nullus homo est leo, h. e. Non est id enuntiatum verum, nullum hominem esse leonem. Quidam homo non est doctus, non qu. homo non est doctus, h. e. non verum est, quendam hominem non esse doctum.* Idem in modalibus, exponibilibus, singularibus, compositis, infinitis,

præternaturalibus, comparativis, & omnibus enuntiandi formis *procedit, si identitas sensus ejusdem præcisè servetur.*

18. In modalibus, si sensus divisi fuerint optimè procedit Contradictio. *Vt* Necesse *est hominem esse animal,* non necesse *est hominem esse animal.* Contingit *hominem currere,* Non contingit *hominem currere.* Impossibile *est leonem esse Canem*, Non impossibile est *leonem esse canem. Hoc est, si divisè formentur enuntiata: Homo necessariò est animal, Non homo necessariò est animal. Homo contingenter est currens, non homo contingenter est currens, h. e. falsum est id, homo contingenter est currens & sic in cæteris.* Tò *non negativè, non infinitè sumi debet, est* §. 17. *monitum.* Exponibilibus, ut, solus homo est Medicus, non solus homo est Medicus. Solus Papa est Judex controversiarum fidei, non solus P. e. j. C. f. hoc est, *non est id, solum Papam esse judicem Controversiarum fidei, ubi posterior contradicens omninò vera erit.* Sola Ecclesia Romana *est vera Christi Ecclesia, Non sola E. R. e. v. C. E.* Sola bona opera *justificant, Non sola b. o. j.* Solus Mahometes *pro nobis intercedit apud Deum Non solus M. p. n. i. a. d.* Elementa tantùm *sunt quatuor, Non elementa t. s. q* Nemo *præter Iudam ex Apostolis periit*, Non nemo *p. J. e: A. P. Prædicamenta tantùm sunt 10. Non Prædicamenta tantùm sunt 10. Homo quà homo est rationalis, non homo, quà homo, est rationalis. Homo, quà rationalis est docilis, non h. q. r. e. d. Christus quà humanitatem sedet ad dextram DEI, Non Chr. q. h. s. a. d. D. hoc est, Non est illud, Christ. quà humanitatem sedet ad dext. DEI.* Posteriora falsi arguunt priora, *& sic alterum illorum enuntiatorum omninò verum, alterum falsum esse oportebit. Vt.* §. 21. seq. *pluribus patebit.* Singularibus, ut Christus est caput Ecclesiæ, Non Christus est caput Ecclesiæ, h. e. *Non verum hoc, Christus e. c. Eccl.* Petrus *negavit Christum*, non

Petrus

Petrus *negavit Christum, h.e. Non verum, Petrus negavit Christum*, Vel si τὸ non ad copulam reijcias, sensus idem provenit, *Petrus non negavit Christum. Judas proditor Christi fuit, non verum, Judas proditor Christi fuit. David fuit adulter, Non David fuit adulter*, vel, *non verum, David fuit adulter.* Compositis, sivè comparativè sivè conjunctivè composita sint: *Vt*, Qualis *herus, talis servus, Non qualis herus, talis servus.* Quantùm *nummorum quis habet, tantùm & fidei habet, Non quantum nummorum quis habet, tantum & fidei quis habet.* Ubi *Sol lucet, ibi est dies, Non ubi Sol lucet, ibi est dies.* Aut *dies est aut nox est, non aut dies est, aut nox est.* Aristoteles *& Philosophus fuit & Christianus, non Aristoteles & Ph. & Ch. fuit.* Si *asinus volat, habet pennas, non si asinus volat, habet pennas.* Si *dies est, nox non est, Non si dies est, nox non est.* Etsi *Vlysses facundus fuit, non tamen formosus fuit. Non etsi Vlysses facundus fuit, non tamen formosus fuit.* In quibus sivè negationem super copulam Conjunctionis, & sic totius propositionis refundas, sivè super copulam verbi in membris contentam *ut* alii *volunt, ut* §. 89. 90. *patebit, sensus contradictorius eodem recidet*, & negatur veritas totius illius enuntiati cui contradicitur. Infinitis, ubi vel subjectum vel prædicatum, vel utrumque est infinitum, *ut, Homo potest non currere, non videre, Non homo potest non currere, non videre. Non leo non est rugibile, Non non leo non est rugibile, i. e. Non verum, Non leo non est rugibile, ut veritas totius enuntiati prioris in Contradictione negetur.* Præternaturalibus, quæ de materiâ præternaturali procedunt. *Vt homo in Christo est DEus, Non homo in Christo est Deus, i. e. non verum, homo i. C. e. D.* Quidam *hircus est cervus, non quid. hircus est cervus.* Quidam leo *est Pardus, non qui. leo est pardus.* Quid. *ignis non visit visibilem*

mate-

materiam, non qui. ignis non vsfit vstibilem materiam. Hoc est, *falsum est, quid: ignis non vsfit vstibilem materiam.*

19. Hanc formam generalem Contradicendi in omni enuntiato legitimam & maximè formalem esse, *praescindendo â materiâ & re enuntiatâ enuntiationis*, an *vera illa vel verisimilis*, an *absurda & impossibilis*, an *necessaria vel contingens*, naturalis *vel praeternaturalis* Topica *vel Apodictica, variè probari potest.* 1. Ex ipso formali Contradictionis. *Contradictio debet ejusdem propositionis in eodem sensu sumptae affirmatio esse & negatio, per* §.7.8. *Sed nostra Contradictio est tale quid, negat enim praecisè veritatem prioris affirmati enuntiati in sensu, aut affirmat negati, ut* ex sensu affirmationum & negationum in Contradicentibus, qui ex nostrâ mente est, patet. *Hic enim sensus: Falsum est id, quod affirmatum aut negatum fuerat.* V. §.17.18. 2. Ex fundamento, & principio Contradictionis *Contradictio in universum omnis, sivè rerum, sivè enuntiationum, sivè in terminis, sivè in modis enuntiandi consistat*, idem de eodem identicè affirmare & negare debet. *Hoc enim fundamentum Contradictionis, quo omnis legitima Contradictio nititur, postulat, quod illud Naturae & immutabilis veritatis est principium:* Impossibile est idem esse & non esse, ut s. 1. c. 65. seque: de Nat. Contrad. *disputatum. Sed* noster modus Contradicendi *generaliter per omnes enuntiationum formas id facit. Vt, Homo est animal, Homo non est animal, de eodem idem affirmatur & negatur, modò competens idemq; sensus conservetur. E. maximè est formalis & legitimus.* 3. Ex generalitate Contradictionis. Contradictio hoc sensu sumpta per omnes *enuntiationum formas generaliter procedit, ut* §.17.18. *visum. E. maximè legitima Hac enim ab omni materiâ abstrahere & indifferenter omnibus aptari posse debet.*





